



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 24. Celebriores Scriptores Ecclesiastici ex Ordine Sancti Dominici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

ritatem, & scientiæ eminentiam tantum sibi nomen conciliabat, ut non modo Philippo II. Hispaniarum Regi a confessionibus esse mereretur, sed etiam Taraconensis Ecclesiæ Episcopatus præficeretur. Tandem vero non sine san-  
 Sæc. XVII.  
 A. C. 1613.

ctitatis opinione anno ætatis suæ octogesimo tertio decessit. Reliquit posteris præter alia ingenii sui monumenta relationem de obitu Philippi II. Regis, necnon Historiam particularem de persecutione Anglica ab anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo. Descripsit quoque vitam S. Theresiæ, cujus olim conscientiam moderabatur, ac insigne operum hujus Sanctæ elogium in tertii libri capite decimo octavo concinnabat.

## §. XXIV.

*Celebriores Scriptores Ecclesiastici ex Ordine S. Dominici.*

Nec deerant Sacro Ordini FF. Prædicatorum Scriptores Ecclesiastici, qui ingens de se desiderium reliquerant. Hos inter primus erat Gregorius Lombardellius Etruscus, patria Senensis, qui variis apud suos dignitatibus non sine laude defunctus, Senis die vigesima prima Maji obiit. Hic in perscrutandis, conscribendisque historiis

*Echard  
 Script. FF.  
 Præd. t. 2.*



Sæc. XVII. A. C. 1613. riis assiduus, præprimis instante Cle-  
 mente VIII. duplici libro veritatem stig-  
 matum S. Catharinæ Senensis propu-  
 gnabat: scripsit quoque perutilem Con-  
 fessariorum institutionem, ac plurimo-  
 rum Sanctorum vitas, præcipue B.  
 Franci Senensis Carmelitæ, B. Neræ  
 Tolomæi, Aldobrandinæ Ponziaë, Joan-  
 nis Baptistæ Tolomæi, Beati Sororii  
 Senensis, Genovesæ, Joannis Piccolo-  
 mini, S. Martialis, Petri de Palermo,  
 & plurium aliorum. Magnum etiam  
 sibi nomen historicis ac Theologicis suis  
 lucubrationibus comparavit Seraphinus  
 Razzi patria Florentinus, qui in omni  
 scientiarum genere præstans exegetica,  
 parænetica, historica, Theologica, Ca-  
 nonica, dogmatica & Philosophica con-  
 scripsit opera, & quidem tanto nume-  
 ro, ut nullum in octogenaria vita sua  
 temporis momentum a scriptione va-  
 cuum reliquisse videatur: prolixum om-  
 nium operum indicem exhibet Biblio-  
 theca Ordinis. Variis insuper lucubra-  
 tionibus ibidem commendantur Tho-  
 mas de Monacho, Petrus Guasch, Lu-  
 dovicus Hamel & alii.

## §. XXV.

*Scriptores e Societate Jesu hoc anno  
 defuncti.*

Scri-